

Idem Acidum etiam sequenti methodo
parari potest :

℞. Tartritis calcis pulv. libram unam.

Adde

Acidi sulphurici aqua diluti, libras sex.

Ut acidum tartarosum purum obtineatur sine labe acidi sulphurici, effunditur liquor, eique additur portio tartritis calcis, donec nulla amplius fiat præcipitatio. Hoc liquidum dein lento igne evaporatur ad consistentiam mellis, sub qua forma ab aëris accessu seclusum diu integrum servari hoc acidum potest.

II. SALES ALCALINI S. ALKALIA.

AMMONIACA.

SYN. *Alcali volatile purum s. causticum ;
alcali volatile fluor ; spiritus salis ammoniaci cum calce viva paratus ; spiritus salis ammoniaci causticus ; aqua ammoniæ puræ. Ph. L. Aqua ammoniæ causticæ. Ph. Ed. Liquor ammonii caustici. Ph. B. G. Ammoniaque.*

Ammoniaca constat partibus quinque

vel sex gazis azoti (seu nitrogenii) et parte una hydrogenii. BERTHOLET.

℞. Calcis libras sex.

Asperge aqua ut in pulverem fatiscat; dein per cribrum trajice et misce cum Muriatis ammoniacæ probe siccati et pulv. libris quatuor.

Massam in retorta terrea cum apparatu *Woulfiniano* juncta caute destilla, augendo ignem ad finem, ut retorta candeat. Excipulum quodlibet ante destillationem, aquæ destillatæ libra una et dimidia repleatur. Postquam aqua excipuli primi perfecte saturata est, gaz transiens aquam in secundo excipulo contentam saturat et sic porro. Massa in retorta remanens est Murias calcis.

NB. Ubi vasa pretii causa, conservare intentio est, loco calcis potassam adhibere convenit. Residuum in retorta tunc est murias potassæ.

VIRTUS : Caustica ; irritans ; antacida ; resolvens.

Usus præcipuus externus pro odore : Asphyxia ; comata ; hysteria.

ALCALINI.

25

NB. Sal volatile anglicanum dictum, ex muriatis ammoniacæ pulv. parte una, et carbonatis potassæ partibus tribus simul mixtis constans, in lagenulis vitreis probe clausis eidem usui ac præced. inseruit.

POTASSA.

SYN. *Alkali vegetabile fixum purum, seu causticum; lixivium saponariorum s. saponarium; lixivium causticum; potassa liquida; aqua kali puri.* Ph. L. *Aqua lixivii caustica.* Ph. Ed. G. *Potasse.*

R. Calcis uncias octo.

Carbonatis potassæ uncias sex.

Injice in vas figulinum et adde aquæ fervidæ uncias viginti octo. Extinctione cal-
cis peracta, protinus adde carbonatem po-
tassæ, iisque bene permixtis vas tege donec
frigescat. Frigefactam massam agita et cola
per linteum aut gossypium in infundibulo
vitreo. Dum stillare desinit, affunde in in-
fundibulum aquæ destillatæ uncias aliquot,
sed caute ut materiam supernatet; et sic

dum stillare desinit affunde iterate aquam, donec libræ tres stillaverint, quod bidui, vel tridui spatium fiet. Dein liquorem in vase bene obturato conserva.

Potassa liquida rite parata coloris et odoris expers esse debet, nec cum acidis effervescere, nec cum aqua calcis lactescere, nec ab addito carbonate potassæ turbari debet. Si lactescit, super calcem denuo colanda est; si turbatur, carbonas potassæ liquidus tamdiu instillandus est, donec nulla amplius fiat præcipitatio.

Si potassam purissimam desideras, affunde potassæ mox dictæ et ab acido carbonico perfecte liberæ alcohol concentratum, quod non nisi potassam puram solvit, relicto in fundo vasis carbonate potassæ, calce et silice. Effuso alcohole potassa saturato, novum alcohol affunde, idque toties, donec potassa omnis soluta fuerit. Has solutiones mixtas evapora, et potassam restantem in vase probe clauso usui conserva.

ALCALINI.

27

VIRTUS : Corrodens ; antacida ; absorbens ;
incidens ; resolvens.

USUS : Morsura viperæ, canis rabidi (vulnus
probe eadem lavando). *Forma fots, bal-*
nei, injectionis aqua diluta : Nodi poda-
grici ; calculus viarum urinariorum.

POTASSA FUSA.

SYN. *Causticum salinum ; cauterium poten-*
tiale ; alcali causticum ; lapis septicus
s. causticus ; causticum commune acer-
rimum ; kali purum. Ph. L. *Kali caus-*
ticum siccum. Ph. B. G. *Potasse fon-*
due.

℞. Potassæ liquidæ supra dictæ quantum
placet.

In vase ferreo mundissimo operto va-
poret, igne cautè temperato, donec ebulli-
tione finita massa salina tranquille fluat,
instar olei, vel donec gutta in laminam
metallicam frigidam effusa perfecte con-
crescat. Ita liquefacta potassa effundatur su-
per laminam ferream nitidam ; in massulas
secetur, antequam durescat, et illico in phia-

Iam bene obturatam reposita usui servetur.

VIRTUS : Corrosiva , caustica.

USUS : Ulcus callosum ; hypersarcosis ;
hydrops tunicæ vaginalis testium ; para-
lysis artuum inferiorum ex spina bifida.

S O D A.

SYN. *Alcali fixum minerale purum seu causticum.* BERGM. *Lixivium saponariorum ; soda caustica ; natron causticum.* G. *Soude.*

℞. Carbonatis sodæ quantum placet.

Eodem modo eademque proportionem cum calce tracta, ut mox de potassa dictum fuit.

III. SALES SALINI.

SYN. *Sales neutri seu neutrales ; salia media.*

Sales ex acido et alcali compositi.

A. SALES EX ACIDO ET AMMONIACA COMPOSITI.

ACETAS AMMONIACÆ, liquidus.

SYN. *Acetas ammoniacalis ; alcali volatile*